SECTIO QVARTA.

DE

MICROSCOPIIS COMPOSITIS,

IN QVIBVS DVAE IMAGINES REALES OCCVRRVNT.

CAPVT I.

DE MICROSCOPIIS SIMPLICIORIBVS HVIVS GENERIS.

Praemonitum.

Cum microſcopia ad hanc ſectionem relata iterum ſitu erecto obiecta repraeſentent, litterae q, r, s, t etc. vna cum multiplicatione *m* eadem retinent ſigna, quae in praeceptis generalibus ſunt vſurpata.

Problema I.

224. Microscopium huius generis ex tribus lentibus componere, eiusque qualitates et defectus investigare.

Solutio.

Cum hic tantum tres lentes occurrant ideoque duo interualla, in quorum vtroque imago realis existit, ambae litterae P et Q statuendae sunt negatiuae quamobrem ponamus $P = -k$ et $Q = -k'$. vt sit $k k' = \frac{m a}{b}$; distantiae vero focales lentium erunt

$$p = \mathfrak{A}\, a; \quad q = \frac{A \mathfrak{B}. a}{k}; \qquad r = \frac{A B a}{k k'} = A B \frac{b}{m}.$$

Interualla vero lentium

$$I^{mum} = A\, a \left(1 + \frac{1}{k}\right);$$

$$II^{dum} = \frac{A B. a}{k} \left(1 + \frac{1}{k'}\right);$$

ita, vt prima imago realis distet a prima lente interuallo $= A\, a$ et a secunda interuallo $= \frac{A a}{k}$; posterior vero imago realis post lentem secundam cadit interuallo $= \frac{A B a}{k}$ et ante tertiam interuallo $= \frac{A B a}{k k'}$ ac si spatii in obiecto conspicui semidiameter sit $= z$, semidiameter prioris imaginis erit $= A\, z$, quae est inuersa; posterioris vero $= A\, B\, z$, quae iterum est erecta. Hinc igitur patet, esse debere $A > 0$. et $B > 0$, vnde quoque fient $\mathfrak{A} > 0$ et $\mathfrak{B} > 0$, ita tamen, vt sit $\mathfrak{A} < 1$ et $\mathfrak{B} < 1$. Tum vero erit

$$z = \frac{\mathfrak{q}+\mathfrak{r}}{ma-b} \cdot ab\xi \text{ et } M = \frac{\mathfrak{q}+\mathfrak{r}}{ma-b} \cdot b$$

vt sit $z = Ma\xi$. vnde nanciſcimur

$$\mathfrak{B}\mathfrak{q} = -(1+k)M;$$

ex quo perſpicuum eſt, cum $\mathfrak{B}$ ſit poſitiuum, fieri $\mathfrak{q}$ negatiuum, eoque ergo campum apparentem diminui; quare, ne is penitus ad nihilum redigatur, tribui debebit litterae $\mathfrak{r}$ maximus valor, qui eſt vnitas et poſito $\mathfrak{q} = -\omega$, debet eſſe $\omega < 1$, cum ſit

$$M = \frac{1-\omega}{ma-b} \cdot b; \text{ deinde ob}$$

$$\mathfrak{B} = \frac{1+k}{\omega} M = \frac{1+k}{\omega} \cdot \frac{1-\omega}{ma-b} \cdot b$$

quia $\mathfrak{B} < 1$. debebit eſſe

$$(1+k)(1-\omega)b < \omega(ma-b),$$

quae quidem conditio facile impletur, ſi fuerit

$$\omega > \frac{(1+k)b}{ma+bk} \text{ et quia inſuper eſt } \omega < 1,$$

ad hoc requiritur, vt ſit $ma > b$, quae quidem conditio pro maioribus multiplicationibus ſponte habet locum. Quodſi vellemus aſſumere $\omega = \frac{(1+k)b}{ma+bk}$, prodiret $\mathfrak{B} = 1$ hincque $B = \infty$ et inſtrumentum fieret infinite longum; ex quo perſpicuum eſt, neceſſario capi oportere $\omega > \frac{(1+k)b}{ma+bk}$.

Nunc etiam videamus, num margo coloratus deſtrui poſſit; quem in finem ante locus oculi examinari debet hac aequatione determinatus

$$O = \frac{\mathfrak{r}}{M\alpha} \cdot \frac{b}{m} \text{ ob } \mathfrak{r} = 1,$$

Quo-

Quoniam igitur r eſt poſitiuum, vtique erit $O > o$, vnde pro deſtructione marginis colorati habebitur iſta aequatio $o = \frac{\omega}{k} + \frac{1}{kk'}$; quod cum fieri nequeat, manifeſtum eſt, huiusmodi microſcopia inſigni vitio marginis colorati laborare; ita, vt ſuperfluum foret, in reliqua conſtructionis praecepta inquirere.

Coroll. 1.

225. Cum ob duas imagines reales pauciores, quam tres, lentes adhiberi nequeant, conſtructio in problemate contenta vtique eſt ſimpliciſſima, quae locum habere queat; quare cum eam repudiare cogamur, ad minimum quatuor lentibus vti oportebit.

Coroll. 2.

226. Quoniam formula pro deſtructione marginis colorati duabus conſtat partibus poſitiuis, iſta confuſio multo erit maior, quam in teleſcopiis et microſcopiis ex duabus tantum lentibus formatis ideoque multo minus tolerari poterit.

Scholion.

227. Cum igitur tribus lentibus hic propoſitis vnam ad minimum inſuper adiici oporteat, id tripliti modo fieri poterit, primo enim haec noua lens inter lentem obiectiuam et primam imaginem realem; ſecundo inſuper inter imaginem realem primam et ſecundam, ita, vt in hoc interuallo duae

lentes

lentes constituantur; tertio vero inter imaginem realem secundam et lentem ocularem. Verum hic tertius casus eodem vitio laborabit, quod hic est reprehensum; litterae enim P et Q eosdem retinebunt valores $-k$ et $-k'$, quippe quibus tantum tertia littera R adiungitur, sicque littera q retinebit quoque valorem negatiuum, qui sit $q = -\omega$, vnde pro margine colorato destruendo habebitur ista aequatio

$$o = \frac{\omega}{k} + \frac{r}{kk'} + \frac{s}{kk'R}$$

quae neutiquam subsistere potest, nisi vel r vel s capiatur negatiuum, quod autem cum iam q habeat valorem negatiuum, neutiquam expedit, quoniam alioquin campus nimis redderetur angustus, quocirca tantum bini casus priores nobis euoloendi relinquuntur.

Problema 2.

228. Microscopia huius generis ita ex quatuor lentibus componere, vt secunda adhuc ante priorem imaginem realem cadat; tertia vero inter ambas imagines ideoque sola ocularis post secundam imaginem, in quo id potissimum efficiatur, vt margo coloratus euanescat.

Solutio.

Hic ergo habentur tria interualla totidemque litterae P, Q et R, quarum duae posteriores debent esse negatiuae. Ponamus itaque $Q = -k$ et $R = -k'$, vt vt fit $P k k' = \frac{ma}{b}$; diftantiae porro focales harum lentium erunt:

$$p = \mathfrak{A} a; \; q = -\frac{A\mathfrak{B}}{P} . a; \; r = -\frac{AB\mathfrak{C}.a}{Pk} \text{ et}$$

$$s = -\frac{ABC}{Pkk'} a. = -A.BC.\frac{b}{m}.$$

tum vero interualla lentium

$$\text{I}^{mum} = A a (1 - \tfrac{1}{P});$$

$$\text{II}^{dum} = -\frac{ABa}{P} (1 + \tfrac{1}{k});$$

$$\text{III}^{tium} = -\frac{ABCa}{Pk} (1 + \tfrac{1}{k'});$$

vnde patet, effe debere $-AB > o$ et $C > o$, deinde notetur, primam imaginem cadere poft lentem fecundam ad interuallum $= -\frac{ABa}{P}$ et ante tertiam interuallo $= -\frac{ABa}{Pk}$; pofteriorem vero imaginem cadere poft lentem tertiam interuallo $= -\frac{ABCa}{Pk}$; et ante ocularem interuallo $= -\frac{ABCa}{Pkk'}$: praeterea vero imaginis prioris inuerfae radium effe $= AB z$; pofterioris vero erectae $= ABC. z.$, exiftente

$$z = \frac{q + r + s}{ma - b} . a b \zeta. \text{ hincque } M = \frac{q + r + s}{ma - b} . b,$$

ita, vt fit $z = M a \xi$, quae quantitas per hypothefin debet effe pofitiua; ex hoc autem valore deductae funt fequentes formulae:

$$\mathfrak{B} q = (P - 1) M;$$

$$\mathfrak{C} r = -(P k + 1) M - q.$$

Ob conditionem $C > o$ autem modo allatam debet effe $\mathfrak{C} > o$ et $\mathfrak{C} < 1$. ex quo perfpicuum eft, vel q

vel r

vel $\mathfrak{r}$ esse debere negatiuum. Vtrum igitur locum habeat, conueniet $\mathfrak{s}$ sumi positiue atque adeo poni $\mathfrak{s} = 1$. vt sit $M = \frac{1 + \mathfrak{q} + \mathfrak{r}}{ma - b} . b$. Hinc autem oculi distantia post lentem ocularem prodibit $O = \frac{\mathfrak{s} s}{M} . \frac{b}{ma}$; quia igitur $s > 0$; haec distantia fiet positiua ideoque margo coloratus destructur ope huius aequationis:

$$0 = \frac{\mathfrak{q}}{P} - \frac{\mathfrak{r}}{Pk} + \frac{1}{Pkk'}.$$

quae neutiquam subsistere posset, si esset $\mathfrak{r} < 0$, vnde necesse est, vt sit $\mathfrak{q} < 0$. Statuatur ergo $\mathfrak{q} = - \omega$, eritque $\frac{1}{k'} = k\omega + \mathfrak{r}$, atque nunc nouimus esse debere

$$\mathfrak{B} = \frac{1 - P}{\omega} . M \text{ et } \mathfrak{C} = - \frac{(Pk + 1) M + \omega}{\mathfrak{r}}$$

qui valor cum esse debeat positiuus, erit

$$(Pk + 1) M < \omega, \text{ hincque } \omega > \frac{(Pk + 1)(1 + \mathfrak{r}) b}{ma + Pkb}.$$

Cum autem sit

$$\frac{ma}{b} = Pkk' = \frac{Pk}{k\omega + \mathfrak{r}}$$

orietur haec aequatio

$$Pk^2 \omega^2 + \omega (1 + \mathfrak{r})(P - Pk - 1) k$$
$$- (Pk + 1)(1 + \mathfrak{r}) \mathfrak{r} > 0$$

quae aequatio conditionem continet, secundum quam littera ω debet definiri. Definitis autem conuenienter litteris ω et $\mathfrak{r}$ indeque deductis valoribus $\mathfrak{B}$ et $\mathfrak{C}$ saltim quam proxime, reliqua elementa innotescunt; tum vero nihil aliud superest, nisi vt apertura lentis obiectiuae ex aequatione pro semidiametro confusionis determinetur.

Coroll. 1.

229. Ponamus breuitatis gratia

$$\frac{ma}{b} = \mathfrak{M}, \text{ vt fit } M = \frac{1-\omega+\mathfrak{r}}{\mathfrak{M}-1},$$

et habebimus:

$$Pk = \mathfrak{M}(k\omega + 1) \text{ et } \mathfrak{B}\omega = (1-P)\left(\frac{1-\omega+\mathfrak{r}}{\mathfrak{M}-1}\right)$$

$$\text{et } (Pk+1)\frac{(1-\omega+\mathfrak{r})}{\mathfrak{M}-1} = \frac{(\mathfrak{M}(k\omega+\mathfrak{r})+1)(1-\omega+\mathfrak{r})}{\mathfrak{M}-1}$$

$= \omega - \mathfrak{C}\mathfrak{r}$; ex quo patet, fore $\omega > \mathfrak{C}\mathfrak{r}$, vbi constat, esse $\mathfrak{C} > 0$ et $\mathfrak{C} < 1$.

Coroll. 2.

230. Cum igitur ω notabiliter maius esse debeat, quam $\mathfrak{C}\mathfrak{r}$; videamus, an fieri possit $\omega = \mathfrak{r}$; quem in finem ponamus $\omega = \mathfrak{r}$ et vltima aequatio fiet

$$\mathfrak{r}(1-\mathfrak{C}) = \frac{(\mathfrak{M}(1+k)\mathfrak{r}+1)}{\mathfrak{M}-1};$$

vnde concluditur

$$\mathfrak{r} = \frac{-1}{\mathfrak{M}(\mathfrak{C}+k)+1-\mathfrak{C}}$$

quod, cum esse debeat $\mathfrak{r} > 0$, fieri nequit, sicque etiam certum est, esse debere $\omega > \mathfrak{r}$, ita, vt campus ne ad valorem eius simplicem quidem $z = \frac{ab\xi}{ma-b}$ augeri possit ob $1 - \omega + \mathfrak{r} < 1$.

Coroll. 3.

231. Cum igitur sit $\omega - \mathfrak{r} > 0$; plurimum interest, nosse, quomodo isti formulae minimus valor con-

conciliertur; quem in finem litteris ω et $\mathfrak{r}$ vt variabilibus ſpectatis hoc eueniet, ſi ſit $d\omega = d\mathfrak{r}$, cui regulae conuenienter differentietur noſtra aequatio:

$$(\omega - \mathfrak{C}\mathfrak{r})(\mathfrak{M} - 1) = (\mathfrak{M}(k\omega + \mathfrak{r}) + 1)(1 - \omega + \mathfrak{r})$$

ac prodibit

$$(1 - \mathfrak{C})(\mathfrak{M} - 1) = \mathfrak{M}(1 - \omega + \mathfrak{r})(k + 1)$$

vnde colligimus

$$1 - \omega + \mathfrak{r} = \frac{(1 - \mathfrak{C})(\mathfrak{M} - 1)}{\mathfrak{M}(k + 1)}$$

ita, vt ſit $M = \frac{1 - \mathfrak{C}}{\mathfrak{M}(k + 1)}$, quae formula praebet maximum campum, quem quidem obtinere licet. Hic autem campus maximus obtinebitur capiendo

$$\omega = \mathfrak{r} + \frac{\mathfrak{M}(\mathfrak{C} + k) + 1 - \mathfrak{C}}{\mathfrak{M}(k + 1)}$$

qui valor in noſtra aequatione ſubſtitutus dabit

$$\mathfrak{r}(1 - \mathfrak{C})(\mathfrak{M} - 1) + \frac{(\mathfrak{M} - 1)^2\mathfrak{C} + (\mathfrak{M} - 1)(\mathfrak{M}k + 1)}{\mathfrak{M}(k + 1)}$$

$$= \frac{(1 - \mathfrak{C})(\mathfrak{M} - 1)}{(k + 1)}\left(\mathfrak{r}(k + 1) + \frac{(\mathfrak{M} - 1)k\mathfrak{C} + \mathfrak{M}k^2 + k}{\mathfrak{M}(k + 1)}\right)$$

vbi membra litteram $\mathfrak{r}$ continentia ſe mutuo tollunt, relinquitur haec aequatio

$$(1 - \mathfrak{C})(1 + \mathfrak{C}k) + \mathfrak{M}(\mathfrak{C} + k)(\mathfrak{C}k + 1) = 0$$

quae reducitur ad hanc

$$\mathfrak{M}(\mathfrak{C} + k) + 1 - \mathfrak{C} = 0;$$

quae cum ſit impoſſibilis, ſequitur, hunc campum maximum ne quidem obtineri poſſe.

Scholion.

232. Parum vero refert, vtrum campum illum maximum obtinere queamus nec ne, cum etiam hic non desint remedia, campum pro lubitu amplificandi; quare relicta hac inuestigatione aliquot casus euoluamus, qui ad praxin inprimis accommodati videntur ac primo quidem apparet litteram P vnitati non nimis vicinam assumi posse, quia tum secunda lens primae tam esset propinqua, vt ambae tanquam vna spectari possent: ex quo casus praecedente problemate tractatus resultaret, quem locum habere non posse vidimus. Quamobrem pro P numerum satis magnum accipi conueniet, deinde etiam cum semper sit $\omega > 1$, e re erit 1 quam minimum accipere, denique etiam vt ad campum maximum quantum fieri licet appropinquemus, conueniet litteras k et $\mathfrak{C}$ quam minimas assumi.

CASVS I.

quo $P = \infty$.

Hoc ergo casu fit interuallum primum $= A\alpha$, ideoque $A > 0$ et $\mathfrak{A} < 1$. ac secunda lens cadet in ipsam imaginem primam, cuius distantia focalis ne fiat $= 0$. debet esse $\mathfrak{B} = \infty$ ita, vt fit

$$\frac{P}{\mathfrak{B}} = -\zeta \text{ hincque } q = \frac{A\alpha}{\zeta}.$$

Deinde cum sit $r = -\frac{AB\mathfrak{C}\alpha}{Pk}$, ob $\mathfrak{B} = \infty$ fit $B = -1$

et

et ob $\mathfrak{C} < 1$ manifeſtum eſt, eſſe debere $k = 0$, vt fieri poſſit Pk quantitas finita, at quia $k = 0$ erit $\frac{1}{k^{\prime}} = \mathfrak{r}$, hincque $P.k = \mathfrak{M}\,\mathfrak{r}$ exiſtente $\mathfrak{M} = \frac{ma}{b}$; ex quo erit

$$r = \frac{A\,\mathfrak{C}\,a}{\mathfrak{M}\,\mathfrak{r}}, \text{ et } s = A\,C.\,\frac{b}{m};$$

vnde pro magnis multiplicationibus eſſe debet C numerus praemagnus hincque $\mathfrak{C}$ ab vnitate parum deficere. Reliqua vero interualla erunt

$$II^{dum} = \frac{Aa}{\mathfrak{M}\,\mathfrak{r}} = \frac{r}{\mathfrak{C}} \text{ et}$$

$$III^{tium} = \frac{AC.a}{\mathfrak{M}\,\mathfrak{r}}(1 + \mathfrak{r}) = (1 + C)\,r + s.$$

Praeterea vero diſtantia oculi erit $O = \frac{s}{M\,\mathfrak{M}}$.

Nunc autem cum ſit $M = \frac{1 - \omega + \mathfrak{r}}{\mathfrak{M} - 1}$; hunc valorem in binis formulis $\mathfrak{B}\,\omega$ et $\mathfrak{C}\,\mathfrak{r}$ non ſubſtituamus, ſed in iis litteram M retineamus, quo eam facilius deinceps definire queamus; tum autem ob $\frac{P}{\mathfrak{B}} = -\zeta$ ex priore inuenimus $\omega = \zeta M$ ex poſteriore vero

$$\mathfrak{C}\,\mathfrak{r} = -M - \mathfrak{M}\,\mathfrak{r}\,M + \zeta M \text{ ſiue}$$

$$\mathfrak{r}(\mathfrak{C} + M\,\mathfrak{M}) = (\zeta - 1)\,M \text{ hincque}$$

$$\mathfrak{r} = \frac{(\zeta - 1)M}{\mathfrak{C} + M\,\mathfrak{M}}, \text{ hinc ergo colligimus}$$

$$\omega - \mathfrak{r} = \frac{(\mathfrak{C} + M\,\mathfrak{M} - 1)\,\zeta M + M}{\mathfrak{C} + M\,\mathfrak{M}} \text{ vel}$$

$$\omega - \mathfrak{r} = \frac{(\mathfrak{M}\,M\,\zeta - (1 - \mathfrak{C})\,\zeta + 1)\,M}{\mathfrak{M}\,M + \mathfrak{C}} \text{ et}$$

$$1 - \omega + \mathfrak{r} = \frac{\mathfrak{M}\,M + \mathfrak{C} - \mathfrak{M}\,M^2\zeta + (1 - \mathfrak{C})\,\zeta M - M}{\mathfrak{M}\,M + \mathfrak{C}}$$

quae

quae expressio aequalis esse debet huic $(\mathfrak{M}-1)M$; vnde nascitur haec aequatio:

$$M^2\mathfrak{M}(\mathfrak{M}-1+\zeta)-M(1-\mathfrak{C})(\mathfrak{M}-1+\zeta)-\mathfrak{C}=0$$

ex qua, cum sit proxime $\mathfrak{C}=1$, colligimus etiam proxime $M=\frac{1}{\sqrt{\mathfrak{M}(\mathfrak{M}-1+\zeta)}}$; adcuratius vero erit

$$M=\frac{1-\mathfrak{C}}{2\mathfrak{M}}+\sqrt{\frac{\mathfrak{C}}{\mathfrak{M}.(\mathfrak{M}-1+\zeta)}}$$

revera autem

$$M=\frac{1-\mathfrak{C}}{2\mathfrak{M}}+\sqrt{\left(\frac{\mathfrak{C}}{\mathfrak{M}.(\mathfrak{M}-1+\zeta)}+\frac{(1-\mathfrak{C})^2}{4\mathfrak{M}^2}\right)}$$

quo valore inuento simul innotescunt litterae ω et r, vnde reliqua omnia determinabuntur. Denique pro apertura lentis obiectiuae determinanda, quia nulla ratio vitri diuersitatem suadet, satisfieri debet huic aequationi:

$$\frac{1}{k^3}=\frac{\mathfrak{M}\mu x^3}{a^3}\left(\frac{\lambda}{\mathfrak{A}^3}+\frac{\nu}{A\mathfrak{A}}-*+\frac{r\lambda^4}{A^4 a}+*\right)$$

vbi terminus secundus sponte euanuit, tertius vero ob C numerum praemagnum tuto reiici potest; vnde si hic factor posterior ponatur $=\Lambda$, reperitur

$$x=\frac{a}{k}\sqrt[3]{\frac{1}{\mathfrak{M}\mu\Lambda}}.$$

Coroll. I.

233. Quia $\mathfrak{M}$ est numerus praemagnus, loco factoris $\mathfrak{M}-1+\zeta$ scribere licebit $\mathfrak{M}$, siquidem ζ non fuerit numerus valde magnus; nulla autem ratio suadet pro ζ tantum numerum adhibere; sufficit enim

enim, vt capiatur $\zeta > 1$, ne $\mathfrak{r}$ vel euanefcat vel adeo negatiuum euadat. Tum igitur erit

$$M = \frac{1-\mathfrak{C}}{2\mathfrak{M}} + \sqrt{\left(\frac{\mathfrak{C}}{\mathfrak{M}^2} + \frac{(1-\mathfrak{C})^2}{4\mathfrak{M}^2}\right)}$$
$$= \frac{1-\mathfrak{C}}{2\mathfrak{M}} + \frac{1+\mathfrak{C}}{2\mathfrak{M}} = \frac{1}{\mathfrak{M}}$$

vnde viciffim colligitur

$$\omega = \frac{\zeta}{M} \text{ et } \mathfrak{r} = \frac{\zeta - 1}{\mathfrak{M}(1+\mathfrak{C})}.$$

Coroll. 2.

234. Hinc ergo fequentes adipifcimur determinationes pro ipfa microfcopii conftructione:

1°. diftantiae focales lentium erunt

$$p = \mathfrak{A}a;\ q = \frac{Aa}{\zeta};$$
$$r = \frac{A\mathfrak{C}(1+\mathfrak{C})a}{\zeta - 1} \text{ et } s = A\,C.\,\frac{b}{m} = \frac{AC.a}{\mathfrak{M}}.$$

2°. lentium interualla

$1^{mum} = A\,a;$

$2^{dum}\ \frac{r}{\mathfrak{C}} = \frac{A(1+\mathfrak{C})a}{\zeta - 1}$ et

$3^{tium} = (1 + C)\,r + s = \frac{AC(1+\mathfrak{C})a}{\zeta - 1} + \frac{ACa}{\mathfrak{M}}$

tum vero diftantia oculi erit $O = s$.

3°. pro apertura inuenienda erit

$$\Lambda = \frac{\lambda}{\mathfrak{A}^3} + \frac{\nu}{A\mathfrak{A}} - * + \frac{(1+\mathfrak{C})}{A^3(\zeta - 1)}\left(\frac{\lambda''}{\mathfrak{C}^3} + \frac{\nu}{C\mathfrak{C}}\right) + \frac{\lambda'''}{A^3C^2\mathfrak{M}}$$

vbi membrum vltimum manifefto omitti poteft.

Scholion.

235. Iam innuimus, nullam rationem ſuadere, cur pro ζ numerum ſatis notabilem accipere velimus, interim tamen tertium interuallum, quod eſt

$$\frac{AC(1+\mathfrak{C})\alpha}{\zeta-1}+\frac{AC.\alpha}{\mathfrak{M}}$$

fieri videtur nimis magnum, niſi ζ vnitatem multum ſuperet, quoniam pro C numerum ſatis magnum aſſumi conuenit atque etiam A numero ſatis notabili aequari debet. Interim tamen ſemper praeſtabit, maiorem inſtrumenti longitudinem tolerare, quam campum reſtringere. Verum etiamſi ζ maius acciperemus, vt menſurae prodeant ad praxin magis accommodatae; nullum aliud incommodum inde eſſet metuendum, niſi quod campus minor eſſet reuera futurus, quam intendimus; quem vero defectum aliquot inſuper lentibus adiungendis facile ſupplere licebit. At vero plurimum refert, vt numerus A ſatis notabilis accipiatur, vt $\mathfrak{A}$ ſatis prope ad vnitatem reducatur, id quod neceſſarium eſt, vt Λ ſatis exiguum reddatur hincque maior claritatis gradus obtineatur; quem in finem ſuficere videtur, dummodo ſtatuatur $A=6$; hinc enim fit $\mathfrak{A}=\frac{6}{7}$ ideoque $\frac{\lambda}{\mathfrak{A}^3}=\frac{343}{216}\lambda$, qui valor ſumto $\lambda=1$ non multum ſuperat $\frac{3}{2}$, qui per $\mu<1$ multiplicatus certe infra $\frac{3}{2}$ reducitur; vnde iam ſatis notabilis valor pro x reſultat. Si igitur ſtatuatur $A=6$, videamus quantum ſumi oporteat C, ne s fiat nimis paruum etiam pro inſigni multiplicaplicatione $m = 960$. Quia itaque tum fit $s = \frac{48 C}{960}$ dig. $= \frac{C}{20}$ dig. haec diſtantia non infra $\frac{1}{4}$ dig. deprimetur, dummodo $C = 5$ quare ſi ſtatuamus $C = 6$, vt ſit $\mathfrak{C} = \frac{6}{7}$, ex hac parte nihil erit metuendum; tum vero tertium interuallum euadit $\frac{36.13.a}{7(\zeta-1)}$, omiſſo altero membro, ſiue $\frac{2.36.a}{\zeta-1} = \frac{72\,a}{\zeta-1}$; vnde ſi diſtantia obiecti ſit dimidii digiti, hoc interuallum erit $\frac{36}{\zeta-1}$ dig. quod ergo ſumto $\zeta = 3$ vel $\zeta = 4$ iam ſit tam modicum, vt nulla poſſit eſſe ratio de eo conquerendi.

CASVS II.

quo $\mathfrak{r} = 0$.

Hoc ergo caſu erit $\frac{1}{k} = k\omega$ ideoque $P = \mathfrak{M}\omega$ tum vero $M = \frac{1-\omega}{\mathfrak{M}-1}$. Hinc aequationes ex campo deductae erunt

I. $\mathfrak{B}\omega = \frac{(1-\mathfrak{M}\omega)(1-\omega)}{\mathfrak{M}-1}$.

II. $\mathfrak{C}\mathfrak{r} = -\frac{(\mathfrak{M}k\omega+1)(1-\omega)}{\mathfrak{M}-1} + \omega = 0$.

Cum igitur $P = \mathfrak{M}\omega$, erit $\omega = \frac{P}{\mathfrak{M}}$ et $1 - \omega = \frac{\mathfrak{M}-P}{\mathfrak{M}}$; vnde patet, P minus eſſe debere, quam $\mathfrak{M}$. Hic autem valor in aequatione poſteriore ſubſtitutus dabit $k = \frac{\mathfrak{M}(P-1)}{P(\mathfrak{M}-P)}$, vnde cum $k > 0$ patet eſſe debere $P > 1$. hinc autem porro ſequitur, fore $A > 0$, hincque $\mathfrak{A} < 1$; deinde vero reperitur

$$B = -\frac{(P-1)(\mathfrak{M}-P)}{\mathfrak{M}(2P-1)-P^2};\quad \mathfrak{B} = -\frac{(P-1)(\mathfrak{M}-P)}{P(\mathfrak{M}-1)};$$

 vnde

vnde B etiam negatiuum valorem obtinet, vti rei natura postulat. Denique erit

$$k' = \frac{\mathfrak{M}}{Pk} = \frac{\mathfrak{M} - P}{P - 1} \text{ et } M = \frac{\mathfrak{M} - P}{\mathfrak{M}(\mathfrak{M} - 1)},$$

vnde campus cognoscitur; hinc igitur patet, quo minus capiatur P, eo maiorem proditurum esse campum et cum P vnitatem superare debeat, semper erit $M < \frac{1}{\mathfrak{M}}$ His igitur valoribus inuentis habebimus

1°. distantias focales

$$p = \mathfrak{A} a; \; q = \frac{A(P-1)(\mathfrak{M}-P)a}{(\mathfrak{M}-1)};$$

$$r = \frac{A\mathfrak{C}.(\mathfrak{M}-P)^2.a}{\mathfrak{M}(\mathfrak{M}(2P-1)-P^2)} \text{ et } s = \frac{AC.(P-1)(\mathfrak{M}-P)a}{\mathfrak{M}(\mathfrak{M}(2P-1)-P^2)}$$

et interualla lentium

$$1^{mum} = Aa\left(1 - \frac{1}{P}\right)$$

$$2^{dum} = \frac{A(\mathfrak{M}-P).a}{\mathfrak{M}P};$$

$$3^{tium} = \frac{AC.(\mathfrak{M}-P)(\mathfrak{M}-1).a}{\mathfrak{M}(\mathfrak{M}(2P-1)-P^2)}.$$

Tum vero oculi distantia erit

$$O = \frac{s}{M\mathfrak{M}} = \frac{\mathfrak{M}-1}{\mathfrak{M}-P}.s$$

ac denique spatii in obiecto conspicui erit semidiameter $z = \frac{\mathfrak{M}-P}{\mathfrak{M}(\mathfrak{M}-1)}.a\xi$. Aperturam vero lentis obiectiuae ex aequatione nota definire oportet, pro aperturis vero sequentium lentium notetur esse $\omega = \frac{P}{\mathfrak{M}}$ et $\mathfrak{r} = 0$. Vnde colligitur semidiameter aperturae

lentis $II^{dae} = \frac{1}{P}x + \frac{Pq}{4\mathfrak{M}}$;

lentis $III^{tiae} = \frac{x}{Pk} + 0 = \frac{\mathfrak{M}-P}{\mathfrak{M}(P-1)}.x$;

lentis $IV^{tae} = \frac{x}{\mathfrak{M}} + \frac{1}{4}s$.

Coroll.

Coroll. 1.

236. Quoniam campus postulat, vt P satis paruum accipiatur, pro maioribus multiplicationibus licebit P prae $\mathfrak{M}$ negligere, vnde si P vnitatem non multum superet, distantiae focales ita exprimentur

$$p = \mathfrak{A}\, a;\ q = \frac{A.(P-1).a}{P};$$

$$r = \frac{A\mathfrak{C}.}{2P-1}.\, a \text{ et } s = \frac{AC}{m(2P-1)}.\, a.$$

deinde interualla lentium

$$\mathrm{I}^{mum} = A\, a\, (1 - \tfrac{1}{P});$$

$$\mathrm{II}^{dum} = \frac{A a.}{P};$$

$$\mathrm{III}^{tium} = \frac{AC.a}{2P-1.};$$

et distantia oculi $O = s.$

Coroll. 2.

237. Si ergo statuamus $P = 2$, fient distantiae focales

$$p = \mathfrak{A}\, a;\ q = \tfrac{1}{2} A\, a.;$$

$$r = \tfrac{1}{3}.\, A\, \mathfrak{C}.\, a \text{ et } s = \tfrac{1}{3}.\, \frac{AC}{\mathfrak{M}}.\, a.$$

et interualla

$$\mathrm{I}^{mum} = \tfrac{1}{2} A\, a;$$

$$\mathrm{II}^{dum} = \frac{Aa}{2};$$

$$\mathrm{III}^{tium} = \tfrac{1}{3}.\, A\, C.\, a;$$

et pro campo $z = \frac{a\xi}{\mathfrak{M}}.$

Coroll. 3.

238. Si, vt supra pro telescopiis fecimus statuamus $P = \sqrt{\mathfrak{M}}$ (quoniam quod ibi erat m, hic nobis est $\mathfrak{M}$) distantiae focales ita exprimentur:

$$p = \mathfrak{A}\, a; \quad q = \frac{A.(\sqrt{\mathfrak{M}} - 1)}{\mathfrak{M} + \sqrt{\mathfrak{M}}}. a;$$

$$r = \frac{A\mathfrak{C}.(\sqrt{\mathfrak{M}} - 1)}{2\mathfrak{M}}. a; \quad s = \frac{AC(\sqrt{\mathfrak{M}} - 1)}{2\mathfrak{M}\sqrt{\mathfrak{M}}}. a;$$

et interualla lentium

$$I^{mum} = A\, a\left(\frac{\sqrt{\mathfrak{M}} - 1}{\sqrt{\mathfrak{M}}}\right);$$

$$II^{dum} = \frac{A a.(\sqrt{\mathfrak{M}} - 1)}{\mathfrak{M}};$$

$$III^{tium} = \frac{A C. a.(\mathfrak{M} - 1)}{2\mathfrak{M}.\sqrt{\mathfrak{M}}}.$$

Pro campo autem apparente erit

$$z = \frac{1}{\mathfrak{M} + \sqrt{\mathfrak{M}}}. a\, \xi$$

et pro Oculi loco

$$O = \frac{\sqrt{\mathfrak{M}} + 1}{\sqrt{\mathfrak{M}}}. s = s\left(1 + \frac{1}{\sqrt{m}}\right).$$

Scholion.

239. Casus in Coroll. vltimo euolutus apprime conuenit cum eo, quem supra in telescopiis tractauimus, vbi praecedentes casus, in quibus litterae p minores valores sunt tributi, penitus exclusimus, idque ob eam rationem, quia interuallum tertium enormiter magnum prodiisset. Cum enim pro telescopiis sit $b = a = \infty$, necesse est, vt sit $\mathfrak{A} = 0 = A$, ita

ita tamen, vt fiat $\mathfrak{A}\, a = A\, a = p$ et $\mathfrak{M} = m$. Tum autem in genere erit tertium interuallum

$$= \frac{C.(\mathfrak{M} - P)(\mathfrak{M} - 1)p}{\mathfrak{M}(\mathfrak{M}(2P - 1) - P^2)}$$

quod, si P prae $\mathfrak{M}$ quasi euanescat, fiet $= \frac{C}{2P-1} \cdot p$. quare cum C debeat esse numerus praemagnus, hoc solum interuallum multis partibus excessurum esset distantiam focalem p, ideoque longitudo telescopii prodiret enormiter magna; quos igitur casus merito supra exclusimus. Nunc autem, vbi de microscopiis agitur, haec ratio penitus cessat, neque enim longitudo instrumenti ob tertium interuallum adeo enormiter magna euadit. Si enim vt ante notauimus pro magnis etiam multiplicationibus sumatur $A = 6$ et $C = 6$; tum tertium interuallum erit $= \frac{36.a}{2P-1}$ ac si a, vt fieri solet, capiatur $\frac{1}{2}$ dig. hoc interuallum fiet $\frac{18}{2P-1}$ dig. vnde si modo sit $P = 2$, id reducitur ad 6 dig. quod in praxi vtique admitti potest. Quocirca in hac de microscopiis tractatione casum in tertio Coroll. euolutum excludi conueniet seruato eo, vbi erat $P = 2$, siquidem hoc modo campus multo maior obtinetur; quin etiam, si lubuerit, sumi poterit $P = 3$. vt prodeant distantiae focales:

$$p = \mathfrak{A}\, a; \quad q = \tfrac{2}{3} A\, a;$$

$$r = \tfrac{4}{5} A\, \mathfrak{C}. a \text{ et } s = \tfrac{1}{5} \cdot \frac{AC}{\mathfrak{M}} \cdot a;$$

et

et interualla lentium

$$1^{mum} = \tfrac{2}{3} A a;$$

$$2^{dum} = \tfrac{1}{3} A a;$$

$$3^{tium} = \tfrac{1}{3} A C . a;$$

manenta $O = s$ proxime et $z = \frac{\mathfrak{M} - 1}{\mathfrak{M}(\mathfrak{M} - 1)} a \xi$.

Nunc autem ne s pro magnis multiplicationibus nimis fiat exiguum, litterae C vtique maior valor tribui debebit, ita, vt iam nulla ratio suadeat, cur litterae P potius valorem 3, quam 2 tribuere velimus, quandoquidem ponendo $P = 3$ tertium interuallum vix diminuitur.

Scholion 2.

240. Euolutione horum duorum casuum attentius considerata, poterimus simili modo solutionem generalem instituere, posito enim breuitatis gratia $\frac{P - 1}{\mathfrak{B}} = -\zeta$ siue $\mathfrak{B} = -\frac{(P - 1)}{\zeta}$, habebimus statim $\omega = \zeta M$; deinde cum sit $P k = \mathfrak{M}(k \omega + \mathfrak{r})$, erit $P k = \zeta \mathfrak{M} M k + \mathfrak{M} \mathfrak{r}$, qui valor in altera aequatione, quae est

$$\mathfrak{C} \mathfrak{r} = \zeta M - M - P k M,$$

substitutus dat

$$\mathfrak{C} \mathfrak{r} = \zeta M - M - \zeta \mathfrak{M} M^2 k - \mathfrak{M} M \mathfrak{r}$$

ex quo reperitur

$$\mathfrak{r} = \frac{(\zeta - 1) M - \zeta \mathfrak{M} M^2 k}{\mathfrak{M} M + \mathfrak{C}}$$

hinc-

hincque

$$1 - \omega + \mathfrak{r} = - \frac{\zeta \mathfrak{M} (k + 1) M^2 + (\mathfrak{M} - 1 + \zeta (1 - \mathfrak{C})) M + \mathfrak{C}}{\mathfrak{M} M + \mathfrak{C}}$$

Cum igitur ſit $M = \frac{1 - \omega + \mathfrak{r}}{\mathfrak{M} - 1}$ erit

$$1 - \omega + \mathfrak{r} = M (\mathfrak{M} - 1)$$

vnde ſequens ſuppeditatur aequatio

$$\mathfrak{M} (\mathfrak{M} - 1 + \zeta + \zeta k) M^2 - (1 - \mathfrak{C})(\mathfrak{M} - 1 + \zeta) M - \mathfrak{C} = 0.$$

ex qua, niſi numeri ζ et k fuerint ſatis magni, ita, vt eos prae $\mathfrak{M}$ tuto negligere liceat, ſequitur fore ſaltim proxime

$$\mathfrak{M}^2 M^2 - \mathfrak{M} M (1 - \mathfrak{C}) - \mathfrak{C} = 0$$

quae in hos factores reſoluitur:

$$(\mathfrak{M} M - 1)(\mathfrak{M} M + \mathfrak{C}) = 0.$$

vnde manifeſto colligitur $M = \frac{1}{\mathfrak{M}}$; quo valore, etſi tantum prope vero, vti poterimus, quoniam parum refert, vtrum campus aliquanto ſit maior minorue, quam calculus indicat. Probe autem haec conditio obſeruetur, quod tam ζ quam k ſint numeri ſatis exigui, ſaltim multo minores, quam $\mathfrak{M}$. Si enim ζk tantus ſit numerus, vt eum prae $\mathfrak{M}$ reiicere non liceat, tum littera M multo minorem nanciſcetur valorem, quam $\frac{1}{\mathfrak{M}}$, ſicque campus inſignem pateretur diminutionem, quae ſola cauſſa ſufficit, vt maiores valores pro litteris ζ et k penitus excludantur haecque regula ſtabiliatur, vt nunquam litteris ζ et k valores tribuantur, qui binarium ſuperent vel vt ſaltim ζk quaternarium non ſuperet. Cum igitur ſit $\mathfrak{P} k k' = \mathfrak{M}$ et k numerus ab vnitate non multum diſcrepans, euidens eſt, vel $\mathfrak{P}$ vel k' eſſe debere numerum ſatis magnum vel adeo vtrumque. His ergo obſeruatis, ita, vt ſit $M = \frac{1}{\mathfrak{M}}$ habebimus

